



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 42. Hispanorum exercitus Navarræ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI. tem Navarræ Rex vehementer admira-  
 A.C. 1512. tus, ambos Hispaniæ Consiliarios vana  
 spe lactandos duxit, donec de periculo  
 sibi imminente Ludovicum certiozem red-  
 didisset, ab eoque suppetias impetrasset.  
 Interea Galliarum Rex totum ferme ex-  
 ercitus sui robur ad Aquitanniæ Provin-  
 ciam admovebat, ductore Francisco Au-  
 relianensi Longevillano Duce: accepto  
 autem Navarræ Regis nuncio, Bellidu-  
 ci suo negotium dedit, ut exercitum in  
 duo agmina partiretur, alterumque Pa-  
 licio mitteret, Navarram versus ducen-  
 dum; ast Longevillanus iussa Regis exe-  
 qui neglexit, persuasus, Anglis resisten-  
 do se imparem fore, si ex Regis senten-  
 tia exercitus sui numerum media omni-  
 no parte imminueret, cum tamen Angli  
 ad solam excensionem totidem ad minus  
 milites paratos haberent, quot ipse in  
 suis castris recensere posset.

## §. XLII.

*Hispanorum exercitus Navarræ.*

Ceterum Rex Catholicus Navarram oc-  
 cupare unice intentus erat, atque ad  
 auspiciandam expeditionem Albæ Dux  
 Victoriæ agens, ultima Regis Domini  
 sui mandata præstolabatur. Hic in exer-  
 citu suo recensebat mille cataphractos,  
 mille quingentos levioris armaturæ equi-  
 tes

*Marian. lib.*  
 30. n. 50.



tes, peditumque sex millia; belli autem tormenta numerabat viginti octo, has copias in minoribus Provinciis, Alaba, Ruconia, & Jupuscoa divisas habebat. Rebus ita dispositis Ferdinandus Dorcestrensem vehementer urgebat, ut suas quoque copias Albenfi conjungeret; ast Anglorum Bellidux consilii, quod Rex Catholicus agitaret, adhucdum ignarus, convocato hac super re Senatu, respondit, quod Regis sui mandata obstarent, quominus quicquam adversus Navarrae Regem moliretur, Albenfi vero, si omnino per hoc Regnum transire cuperet, id integrum esset, interim sibi, cum Bajonae proximus foret, haud animum esse ajebat, per tam amplos viarum circuitus ad eum accedere. Displicuit Ferdinando responsum: nihilominus rursus, ac impensius sollicitabat Dorcestriae Marchionem, ut Anglorum copiis suas jungeret; hic vero Ferdinandi jussis morem gerere renuit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1512.  
Massolier.  
hist. Card.  
Ximen. t. 2.  
l. 5. p. 230.  
Et seq.

§. XLIII.

*Pampelona ab Albenfi obsessa,  
& capta.*

Ergo Ferdinandus datis literis Albensem jubet, ut recta Pompeiopolim, seu Pampelonam Navarrae Metropolim cum toto exercitus sui robere contenderet.